



Ludus Sylvani Hessi in defectionem Georgij Vuicelij ad Papistas.

<https://hdl.handle.net/1874/431256>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

*Cynoscilla
varia.*

Rariora

**F. qu.
289**











Miscellanea Theologica

Quarto n^o. 289

Rariora

**F. qu.
289**





1. Ludus Sylvanus Hessi, c. praef. J. Jovis.
2. Huld. Zwingeri. Apologismus. ad Alex. Tizium.
3. Simon Hessi. Apol. conts. d. Loffersens.
4. Carlstat. r. eynig vollen gods.
5. Joh. Herlein r. Gintsbury. Spruz. deut. Celsus.
6. Gyspola christiana ex Balanis, messa.
7. Ballhar. Frenckers' Schlusser.
8. Aders du Hano. Heker. die Mess. Acte.
9. Bartholom. Bernardi, dass Die Pirester bloss
nehmer,
10. wie du inwend, d' us recht, Messen, d' us
einer Reize in wanden.
11. Joh. Langer, r. gelov. d' us welt. oberkant.
12. Mandat des Raths in Basel.
13. Dass die pap. Messen abenthun.
14. Mich. Schffel. r. d. 10 jahre. Pfander. Matthe.

[The page contains extremely faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the paper. The text is too light to transcribe accurately.]

L
LVDVS SYLVANUS
VANI HESSI IN
defectionem Georgij
Vuicelij ad Pa-
pistas .

Cum Præfatione Iusti Ionæ.

Responde stulto iuxta stulticiam sua-
am, ne videatur sibi sapiens .

VITENBERGAE.

1 5 3 4 .



Ex donatione Hab. a Buehel.

THE HISTORY OF THE
CITY OF BOSTON

FROM THE FIRST SETTLEMENT
TO THE PRESENT TIME
BY NATHANIEL BENTLEY

THE HISTORY OF THE
CITY OF BOSTON

FROM THE FIRST SETTLEMENT
TO THE PRESENT TIME
BY NATHANIEL BENTLEY

AD LECTOREM IVSTVS IONAS.



ALLATVS EST HIS
diebus ad nos Dialogus cuiusdam docti homi-
nis, & religiosi, In quo quia recte, & suis quibus-
dam coloribus depictus est Vuicelius, hic cum pub-
licis lucris transferri uoluimus, Nec dubito, quin
omnibus honestis uiris placiturus sit, non tantū hic libellus, sed mea eti-
am opera & studium, tum in ipsam religionē, tum in eos, quibus cordē
est pietas, & omnes aliæ uirtutes, quæ hanc summam diuinamq; comi-
tantur, Non enim priuato aliquo odio hunc hominem, si modo homo
dici potest, qui omnem humanitatem exiit, multis non tam ridendum
propinari curauī, quantum in me fuit, quam ostendi cauendum, aut eti-
am execrandum, siquidem uix est aliqua spes reuocari eum in uiam
posse, uerum ut Christo, & ipsius doctrinæ, quibus ille aduersatur, pro
uina mediocritate, sicuti par est, inseruirem, & piæ mentes utcuq;
contra hoc monstrum armarem, Mallem equidem laudare Vuicelium
nec delectant me criminationes, & insectationes, nisi ipse ita suam ui-
sam institueret, ut Christum, & eius uerbum in signibus contu-
melijs quotidie afficeret, quam ut hoc uere faceret, quod simulat. Simu-
lat autem nescio quem amorem erga Ecclesiam, & interim uastat eam
& affligit, quantum potest, Id quia non debemus ferre, qui & profite-
temur Christū uere, et sincere docemus, facile mihi ueniam daturos esse
lectores scio, q̄ hunc Dialogum in publicum uenire, & late spargi cu-
rauerim, Quæ enim unquam Gens, quæ Ciuitas, quis Populus quæ Na-
tio suam religionem ridere quemquam impune, aut contumeliose tra-
ctare passa est? Si ad incendium concurrunt homines, ut suas domos
& alias res conseruet, quanto magis concurrere nos decet ad conficien-
dum, & extinguendum tale portentum tam perniciosum non armis,
aut ui, sed uerbo Dei, & alijs spiritualibus instrumentis? Quod au-
tem Vuicelius uastator sit Ecclesiæ Christianæ, ut probetur, nihil opus
est, Nos

est, Notum enim id est per sese multis bonis, & pijs hominibus, non sine magno suo dolore, deinde hic Dialogus ex magna parte hoc docet. Ego, ne desit Lectori hac in re mea opera, si quis eam forte non omnino fastidit aut requirit etiam de causa huius tantæ impietatis breuiter quædam addam Syluani scripto, & tanquam altius repetam, nec aliquid fingam, sed dicam quod res est, idq; ut credant mihi boni uiri, si opus erit facile testimonijs grauissimis confirmabimus. Vuicelius superioribus annis amplexus ueram, & sinceram doctrinam de pietate huc uenit in Ditionem Illustrissimi Principis Saxonie Electoris, & factus pastor cuiusdam oppidi hic in propinquo, Deinde tumens persuasionem quædam magnæ sapientiæ cum arbitraretur sibi non tribui tantum, quantum requirebat, cepit significare id quod postea fecit, & tumultuatus aliquamdiu hinc discessit, & contulit se ad diuersæ factionis homines, & quantum antea pro puro Christianismo contra illos non instrenue pugnaisset, & ipse proderet se atq; ostenderet, quam esset inconstans, & mobilis, tamē gratus non tantum hospes ibi fuit, sed etiam amicus, præsertim cum illa sua nota, & naturali arte usus esset, & simulasset omnia superiora se fecisse per errorem quendam, neq; potuisse diutius in tantis tenebris, & impietate uersari. Hic uero fuit ingens gaudium, & uictoria, atq; tantum non supplicatio in dimidium annum, quod nemini ante ipsum unquam, neq; in hac, neq; in Ro. Republica contigit, duplicem ob causam decreta est, Primum, quia peccator egit penitentiam, deinde Lutheranismum quia abnegauit, quo nihil Sancti Patres, & angeli etiā ipsi, si dijs placet, neq; perniciosius, nouerunt, neq; execrabilius. Quid autem coegit illum bonum, et simplicem hominem deficere ad hostes nostros a puriore dogmate? conscientia ne erroris? uellet quidem hoc esse omnibus persuasum, ut est probus, & hoc agit, ut, si qui nondum sunt persuasi, ijs id persuadeat, Sed nihil dubito, quin saltem aliqui non sint passuri, tam uanum hominem aliquid auctoritatis apud se habere. Quid ergo aliud est? An paupertas, quæ tam multa & docet & coegit homines? non. Insania aliqua? fecit quidem ea aliquid, sed non sola, nec præcipue. Metus aliquis? Metus etiam concurrit ad tam monstruosum scelus, et uarium, non quod metuerit, ne Deum offenderit, aut hominum honestorum iudicium, sed fortasse

ne non esset habiturus aliqui occasionem, aut potestatem ulciscendi se
se, & consequendi per ambitionem quicquid uellet. Non possum plu-
ra querere, dicam uno uerbo propriam, ueram, & propinquā causam
Ambitio, odium, & inuidia in hanc impietatem præcipitauerunt Vici-
celium, Maliciam neq; addere uolo ipse neq; quenq; prohibere id face-
re, istæ sunt præcipuæ Causæ, cur hic uociferator a religione Christi-
ana defecerit, & uere proditor tanquam in alia castra transierit non
coactus inopia, aut aliqua alia re, quæ posset qualemcunq; excusationē
tam impio facto adferre, Sola ambitio, inuidia, & odium priuatum
ei hanc tantam impietatem genuerunt, alucunt, & perfecerunt, Mera
libido animi, & infinita quædam cupiditas regnandi, & ulciscendi se
in tantum cum furorem, & turpitudinem abstraxerunt, de qua ego
nihil dicam, uel quia maior est, quam ut explicari possit, uel quia id
pulchre in Dialogo est factum, de reliquis duobus plus quam Cy-
clopicis affectibus pauca quædam explicare, & quam pulchre con-
ueniant cum eius professione operæ precium est uidere, Euangelium
requirit, ut bene affecti simus erga eos, & bene faciamus ijs, qui nobis
male faciunt. Hic pessime uult ijs, & odio plus, quam nouericali profe-
quitur eos, qui ipsi optime semper noluerunt, & quibuscunq; potue-
runt rebus eum adiuuerunt, Quod adeo constat, ut ne ipse quidem po-
ssit negare, quantumuis sit impudens ac mendax, Euangelium requirit
gratitudinem, & alias omnis generis uirtutes, Hic Parasitus neq; in-
telligit quid sit gratitudo, & cum reliquis uirtutibus tanquam bellum
quoddam uidetur suscepisse. Nam qui talem gratiam referre audet suis
benefactoribus illius animus a nullo scelere abhorreere potest. Sicut di-
cit Minus, Dixeris maledicta cuncta, cū in gratum hominem dixeris.
Euangelium præcipit nobis, ut condonemus inuicem peccata queuis, &
inter nos dissimulemus multa, et tolleremus, Vicielius nō tantū nō con-
donat leuissima quædam errata, & offensas, si modo eum hic aliquis
offendit, quod non existimo, uerū etiam querit causas undecunq; mo-
rem gerendi suis affectibus, & quantumuis exigua, si quæ arripuerit
ita amplificat, ita auget, & exaggerat, ut tantum non ex tumulo prodia-
cat Olympum, ut ait Satyricus. Quid dicam nunc de inuidia, quæ
tanta flagrat, ut ne dormiens quidem eam dimittere possit, quæq; ex-

agitatur quacunq; ingreditur, ubicunq; est, non secus de furijs quibusdam, Non potest aequo animo aspicere quenquam, non potest audire de quoquam, non cogitare, quem sibi preferri in ullo genere laudis iudicat, Omnia omnibus inuidet. Pectora felle uirent, lingua est suffusa ueneno, Et uidet ingratos, intabescitq; uidendo successus hominum, ut est apud Poetam, Et uere comedit uipereas carnes uiciorum alimenta suorum, Hæ impulsiones seu commotiones, aut potius furie animi, ita hanc tam immanem, & rabiosam beluam irritauerunt primum, deinde transuersum egerunt, & tandem rapuerant ad defectionem, quæ deinde peperit ipsi egregiam sobolem, & plane patri similem, Blasphemiam, & Crudelitatem, Quarum utraq; Deum fortiter oppugnat, altera miseris hominum mentes falsa docens, & defendens. Quid? q; non abstinet uiolentas manus a sua Coniuge, & liberis, quam tam scruicia exercet in eos? Non Medea tam crudelis fuit, non Progne, non Atreus, aut quisquam alius in Tragœdijs. Nam ij tantum uitam suis ademerunt quod quidem crudelissimum est, sed illa nostra Medea nomen et famam uxoris, & liberorum suorum obscurare conatur, deformat eos, & deturpat quantum in ipso est. Quod est charissimum, & quauis uita prestantius, hoc uxori, & liberis detrahare non dubitat. Hæc uero est inaudita, & monstruosa crudelitas, ex legitima uxore Scortum, ex liberis, pro quibus etiam bestia uitam suam in discrimen ponunt, spurios facere, furor est, insania est, rabies est, Cyclopes, aut Læstrigones humanos dicas, præ ut huius Vicielij scruicia est, & rabies, cuius uim ne nomen quidem ullum exprimere potest. Atq; hæc omnia orta sunt, ut dixi, ex ambitione, odio, & inuidia, Hæc uicia non sunt mediocria in hoc parricida, sed maxima, & infinita, quæ efficiunt in eo, ut suam etiã, et liberorũ, atq; uxoris suæ summã salutem negligat interea, dum perniciem parat ijs, quos odit, & quibus inuidet tantopere. Elegans est prouerbum apud Germanos. Inuidia daret oculum, ut alter neutrum haberet. Et ille in Apologis Æsopicis aequo animo uoluit perire, dummodo uideret suũ inimicũ prius perire. Idem Vicielius non tantum sentit, sed copiosissime fecit, dum ut odio suo morem gerat, crudelis est in Coniugem & liberos, illa si non est insana nullam puto usquam esse, ne apud inferos quidem, Sed quid hæc

accidit

accumulo multis? uno uerbo possum dicere, quod uolo, & uere possum dicere, Qui Deum audet illudere, & ignominia afficere, is nihil uō audebit in homines. Quod cū Vuicelius sedulo faciat, et diu iam fecerit nihil mirū nobis uideatur cū ita esse ἀπολαύχων ἢ ἀστροφῶν, Sed desino de Vuice. plura dicere, dies enim me deficiat citius, & totā naturam eius describam. Quanq̄ dignus esset, ut etiā in sienis celebraretur, presertim propter hanc suam crudelitātē in Coniugem, et Liberos. Id quod ipse cupit, & querit. Nō potest latere, uult notus, et celebris esse quocunq; modo, quacunq; ratione, & uia id fieri possit. Sed ego omnes bonos, & pios homines moneo, & hortor, ut eius conatibus obuiam eant, quantum patitur religionis ratio & Ecclesie concordia, & non permittant ei ita grassari in Ecclesia pro sua libidine. de Liberis, & Coniuge Magistratus uiderint. Quam ob causam tantum edere hunc libellum uolui, & ei addere hanc Prefationem

nullo adductus priuato odio, aut aliqua alia cupiditate.

Christus misereatur suæ Ecclesie, & defendeat omnes impios ac sanctos doctores. Quod omnes uno ore debemus,


& ex animo

precari.

Vale.

..

VVICE



Vvicelius, Vxor, Nicolaus Faber,
Crotus, Codeus,



Wicelius, Prudentissime mihi ve-
teres illi Romani fecisse videns
tur, qui ob nominis & famam
& immortalitatē, tot terra ma-
ricę exantlarunt labores, tot ad-
iere pericula, Contra, desipuiffe
animo illos iudico, qui olim quam nescio pro-
fessi Philosophiam, adeo popularem auram
non ferebant, vt rideri etiam a vulgo pulch-
rum duxerint? Quid enim nisi omnibus sis
admirabilis, vita hæc iucundū habet? Mihi
profecto illa nominis mei obscuritas valde
hactenus inuisa fuit, præsertim expendenti,
quanto cū dedecore ignotus plane hic deli-
tesco, tot interim eruditus viris in prætio ex-
istentibus, Magno illi Erasmo famam pepe-
rerunt bonæ literæ, quas veluti Camillus al-
ter ex hostium vendicatas potestate, reuexit
omnium primus in Germaniam, Lutheri no-
men illustrius reddidit profligata e multorū
cordibus idololatria, de me interim quid vel
loquuntur vel sentiunt homines? Proinde
volo & ego innotescere, inq; publicū prodi-
re, vel facturus periculū, quam recte dictum
B sit. Pul

Sitis glo-
ria in
Vvicelio.

*Vuicelij
inuidia
et odium*

fit. Pulchrum est monstrari digitis & dici
hic est, vel turbas omnium maximas concita
turus, Volo, Volo, inquã, innotescere, Quid
ad me, qua ratione id fiat? Neq̃ enim nunc
cum Cicerone rixabor, An id solum, quod
honestum sit deceat, & id deceat quod hone
stum sit, Sed id agam potius, Vt nomen me
um reddatur aliquo etiam celebrius, quã
omnium Vittebergensium. Equidem semen
tem hæcenus feci inter Luteranos Euangeli
cam, Sed quo meo comodo? qua nominis
gloria? Quod si hac in re etiam sis non om
nino minimus, tamen triumphos tibi omnes
præcipiunt, isti quos ego ex animo odi, Me
lanctones, Pomerani, & qui nescio, Iusti,
Proinde iterum dico, æquum esse, vt nos
quoq̃ innotescamus, Quid? vel mori volo
vel innotescere. VXOR, Quid nam hic se
cum stomachatur, perturbato similis? Adis
bo, Quid mi vir mussas? satin saluæ? VVL
Quid mi vir? Tu, vt in culina recte curent
tur omnia, da operam, Apagesis, Audin?
Aut pugno maui abigi? VXOR. Quid tu
nunc solito es inclementior? Sed tamẽ abeo.
VVICELIUS, Volo in pretio esse, Sic decre
tum est, Sic stat sententia, In pretio autem
vt sim apud Luteranos continget nuu
quam

quam, Quid igitur faciam? Qua ad immortalitatem insistam via? O foelicem Erostratum, cuius nomen Dianæ templum incensum transmisit ad posteros, Ego ut notior fiam, quod incendam templum? quod audebo facinus? Sed heus, Inuentum habeo consilium, quod me vel in cœlum vehat, Qui Lutheri dogmata impugnant, ferme tales sunt, vt vel eruditionem vel pietatem, maxime opere iactare non possint. Et tamen famam omnes non contemnendam habent, Ad eos igitur me adplicabo, illis contra Lutheranos nauabo operam. Ad illos adludam certus, gloriam mihi ibi obuenturam non mediocrem, Et quidem scio, istos Lutheri hostes obujs, quod aiunt, vnus, excepturos me presertim, si resipiscentem, adq; Papalem Ecclesiam redeuntem intelligant, non solum, vt laudatam antea ac adamatam Helenam vituperem, idq; Stesichori more, sed vt stilum quoq; in eos, quorum fidem hactenus secutus sum, exacuiam, Itaq; valete Lutherani. Vale Euangelium, *χαίρε φίλων φῶς* Vale infelicissima professio, Quæ vt maxime habeas coniunctam veritatem, tamen tot cruces, ignominias, tot præterea

*Ephesinū
templi incensio.*

*Consiliū
Vuicelij
de munitando
uitæ instituto.*

B ij mortes

*Odit cruce-
m Vui-
selius.*

mortes adfers, vt non illibenter diuelli abs te
sustineam, Cur diutius in Lutheranorū cast-
ris miser sim, quom me apud aduersarios &
res indubie & ingens fama maneat? Aut
cur non maximorū imperatorum exemplum
imiter? Iulianus quem Apostatam vocant,
Christianissimum & ipse olim amplexus fue-
rat, Attamen vbi cōmodum fuit, repudiare
sectam tot nominibus infamem nō erubuit,
Vnum igitur super est, vt scilicet, quæram,
per quos Romanæ Ecclesiæ pceribus insinu-
er, Atq; hic profecto, non vulgares culpæ
depræcatores, non intercessores pedarij, sed
apud quos rerū summa sit, quærēdi mihi cō-
ciliandiq; sunt, Possset operam nauare hic mi-
hi Iohannes Faber Constatiensis, quem ego
in gratia esse apud Sanctissimū, ob magnum
illud contra Lutherū æditum volumen per-
suasissimus sum, ni longius hinc abesset, quā
vt cōuenire hominē ipse queam, Cum Eccie-
societatem iungere non libet, etiamsi, haud
ita procul esset, quod timeam, ne mecū, vt est
ambitiosissimus, desuperioritate certamen
fusciptat, Solus regnare, ac rerū potiri volo,
Super est vnus Cocleus, dignus qui cum vel
in tenebris micem, Is me in Lutheri odium
& amplectetur facile amicū, & non illibenter
Roma-

*Iohannes
Faber.*

Mecius.

Cocleus.

Romano Pontifici, quantus sim contra Lu-
theranos & dux & scriptor futurus, insinua-
bit, Ac quid moror? Cupio iam nunc proti-
nus mihi dari illū ipsum Cocleum, cui defe-
ctionis meæ consiliū, antea quam Lutherani
eam rem resciscant, patefaciam, Et quidem
iam iam me in pedes conijctam, Sed vbi nunc
est Vxor? Hodie oblatrabat, quom me aliæ
distinerent curæ, Nunc adesse video nemi-
nem, Quanc̄ quid ego vxorem voco, quam
vix meretriculæ posthac sim habiturus lo-
co? Vxor. Quam ille meretriculā somniat? *Vxoris*
Mirū ni alio transtulit animū, Sed interpella *odium*
bo, Quid tu mi vir, de meretricula somnias?
Vuicelius, Ego ne sum tuus vir? Istuc ver-
bum caue posthac ex te audiam, Neq̄ enim
legitime vel tu mihi vxor vel ego vir tibi esse
possum. Vxor. Istuc vero infortuniū Chri-
stus auertere dignetur, An non vxoris loco
habuisti nunc me annis amplius octo? Vui-
celius. Hoc, vt simularem, exigebant tum &
mores & tempora, At hic dies, alios mores,
aliam viuendi rationem postulat, Vxor. Me
miseram, Num tu me nunc mi vir iudifica-
ris? Aut tibi ego antehac Ecclesiastico ritu
non nupsi? Vuicelius, obgannis, Ecclesiast-
tico ritu potuisse fieri malefana arbitraris,

Si nō ca-
ste tamen
saute.

quod Ecclesiastica autoritate prohibitū sit ?
Metuebam tum mihi ab Hæreticis , vi qua-
dam Sacerdotibus vxores obtrudentibus ,
Alioqui nunquā tam insanus futurus eram ,
vt voluptatem explere cum pluribus nō ma-
luerim, atq; cum vna. VXOR, Nondum per-
suadeor , serio hæc loqui te . VVICE ius ,
Quid ni serio? Quin sapientis est, Tempori
interdum accommodare sese , Hinc enim illa
tot vulgo iactata prouerbia, Inseruire scenæ,
Omnium horarum homo, vti foro &c. VX.
Ego in hac caussa prouerbijis non maximo-
pere adficio, Quin tu vno verbo expedi,
pro vxore an scorto me habeas, VVICELi.
Satis pro imperio. VXOR, Si more tuo me-
cum ludis, quiescere possum, Sin vero quod
dicis, ex animo dicis , iam me varie adfici,
quis porro mirabitur? VVICE. Dicta mi-
hi quidem hætenus es vxor, deniq; a paren-
tibus tuis te mihi in manum, ac post a sacrifi-
co datam, fateor, Sed quid tum postea? Non
dum id temporis & Philosophorum de du-
cenda vxore scita, & Ecclesiæ Papales au-
toritas addictum me habebant . VXOR,
Quam num nunc cantilenam incipis? Quid
mihi cum Ethnicis? quid cum Papali Ec-
clesia, a qua tu me abductam ad Euangeli-
cam

Vvicelius
Philoso-
phicus et
Ecclesia-
sticus.

cām veritatē reuocasti? Ah quam timeo
miserā, Ne tu nunc omnino insanias. VVI.
Ah quem vellem ego voti compotem factū
Diogenem, qui quom olim, quo nescio iter fa-
cturus, ab arbore quadam dependentem ac
præscatam vidisset mulierem, Vtinam, in-
quit, omnes arbores tales ferrent fructus:
VXOR, Quid? præterq̄ quod connubium
nostrum negas, etiam suspendium miseræ im-
precaris? O mi vir, Quo meo merito id fa-
cis? Aut vnq̄ de te sum merita males? Quo-
ties tu vxoriam erga te fidem re ipsa etiam
expertus es? vnā da, quæ virum suū vel cha-
riorem habuerit vnquam, vel amantius reue-
rita sit, Nihil hic cedo, vel Penelopes in virū
fidei, Vel Lucreciā pudicitiae, Quod si eti-
am casus aliquis te (vt est multis malis præ-
sens vita obnoxia) absumeret, tamen citius
portiae Catonis, Bruti vxoris exemplum imi-
tatura eram, quam te virum negatura: VVI
CELLIUS, Fidem erga me tuam non incuso,
Sed tamen & illos non possum non interim
laudare Philosophos, qui cœlibē vitam cōiu-
gali potiorē habuerūt, Illos præterea Ortho-
doxos patres, qui ad magnos in Ecclesia Pa-
pali, honores properanti, vxorem præcipuū
ac som-

*Vuicelia
na vxor
ris fides.*

ac somnū impedimentum esse iudicant, Vxor. Ergo vinculū illud, quod Deus etiam ipse inter vxorem ac maritum firmissimū esse voluit, tam leuiter dissolues tu? tam perfide rumpes? immemor, quantis me blanditijs e paterno foco sub matrimonij prætextu virginem abduxeris? Quid si meus ille hic ad esset pater, qui me tibi vxorem, eamq; legitimam, non scortū dedit? Vuicelius. Quid huius factum sit, memini, Et tamen alio me rapit animus, Volo ego aut rex esse aut Asi-nus, Vt autē rex fiam, nō prestabit hoc vitæ institutum, sed tempestiua ad illos mundi dominos, Romanū scilicet Pontificem ac Episcopos, transitio, Hi me in altum euehere, hi beare, hi velut humi reptantem in sublime at tollere possunt. Vxor. Quid dicis? Ad Euangelij hostes etiam transiturus es? quorū doctrinam tot annis perinde atq; impiam in publicis contionibus reiecisti ac detestatus es? Prius mihi terra dehiscat, quam hoc videam, Mirabar quo tenderet illa mei abnegatio. Vuicelius. Non ego te abnegabo in vniuersum, aut deseram, Quin te mecū abducam, omnis emolumentū, omnis gloriæ participem futurā, Solum, vt te concubinam meam vel ancillam dici sustineas, repudiata vxoris

Regnum
Vuicelius
Somniat.

oris appellatione . **VXOR** , Scilicet gloriosi
valde erimus , si tibi abnegati Euangelij ac
perfidiae crimen, mihi scorti appellatio feren
da sit, Siccine famae liberorum tuorum con
sulis ? Si hoc non est insanire, quid profecto
infamia dici possit, non video. **VVICE** eius.
Tu pol non es sobria, Ad honores enim, ad
diuitias , ad perpetuam in hac vita securita
tem properantem, incitare an remorari de
bebas? **VXOR**, Harum rerum tu me haec
nus contemptum docuisti, Et scin, quoties a
fluxarum rerum cupiditate , ad caelestia illa
bona reuocaueris homines ? Quorum om
nium memor , nihil quod a doctrina tua di
uersum sit, inceptare debebas, An non milli
es concionatus es in concredita tibi Ecclesia,
Nihil esse carnis gloria vanius? Nihil diuiti
arum amore nocentius ? Nihil securitate in
hac vita perniciosius ? Muta igitur, mir vir,
hoc defectionis consilium , & mihi & liberis
nostris, & tibi ipsi, ni mutetur, olim futurum
pessimum, Ego tecum & pane & sale, vt est in
germanico prouerbio, hic contenta uiuam,
modo a bonis viris ad perditissimos homi
nes non deficias, Papistas, ne quid dicam atro
cius, nosti. **VVICE**, Nunc video non abs re
Paulum mulieribus dicendi potestatem in cae

*Vuicelij
infamia.*

*Bona me
licris ex
emplum.*

C tu Ec

Philoso=
phi mulie
rum oso=
res.

tu Ecclesiastico ademisse, His enim si loqui
permisisset, Quis, bone Deus, contionum fi-
nis futurus erat? Vel hæc Virago, quam est
dicax? quam est loquacula? vt belle philo-
sophata est? Recte profecto secundus Philo-
sophus interrogatus, quid mulier esset, Ho-
minis confusionem, continuam sollicitudinē,
indefinentem pugnam, respondit, Quando
enim miseris viris non faciunt negocium?
Ego in hoc sum, vt & mihi & ipsi & liberis
nostris prosum, Vt facultatulam nostram
hanc augeam, vtq; nomen meū minus post
hac sit despicabile, Id illa ferre non potest,
Et quod aliquādo pro temporis ratione, do-
cere in Luteranorum gratiam coactus sum,
id perinde mihi obijcit, ac si vnq; aliquid do-
cuisssem ex animo, Quis nunc non fateatur,
stulta muliere nihil esse ineptius? In eodem
omnes ludo doctæ sunt, non ad malitiam so-
lum, iuxta Terentium, sed & ad stulticiam,
Sed heus tu, video quod præ muliebri, stulti-
cia dicam an malicia? quid tibi, quid liberis
tuis, quid deniq; mihi commodum sit, perspi-
cere non possis. Ego itaq; quantumuis ob-
stes tu, consilium meum persequar, consili-
um inquam, quod præterquam apud Luthe-
ranos, nusquam mihi fraudi erit, Tantoq; me
ad istos

Vide quo
rapiatam
bicio.

ad istos, quos tu Papistas vocas, conferam
confidentius, quanto certius apud illos est,
virtuti eorum qui Luthero maledicunt, præ
mium, Id tibi si placet, bene est, Sin vero
displicet, Ego tamen nihilo secius proposi
ti mei memor hinc me amoliar. **VXOR.**
Ego vero te mi vir, per illum oro, obtestor
q̄, quo redempti sumus sanguinem, per om
nia sacra, per Matrimonij ius, per vxoriam
fidem, per communes mihi tecum liberos,
vt ne vel animæ iacturam tam facies parui,
vel tantum concilies familiæ nostræ dede
cus, Sine, te exorem, Imo exoret te hic par
uulus, quando nihil apud te valent mater
næ lachrimæ. **VVICELIUS,** Quin tu
inanes istas lachrimas omittis? Liberorum
ac tui ratio habebitur, sed post hac, Iam enim
aliud ago, Et tamen ne tibi plus æquo vi
dear durus, do optionem tibi, Vt vel con
cubinæ loco apud me sis, ac omnium com
modorum particeps fias, vel vt vxorij vincu
li nimium amans perpetuo me careas, Ha
bes liberum arbitrium, vt rumpantur Lu
therani, Proinde alterutrum elige, Quod
si spacium ad deliberandum postulas, id
quoque dabitur, Et quid vis amplius?
C ij am

Concubi
nā ferre
Vvicelius
potest, ux
orem non
potest.

Mulieris
querela .

amplius? ego interim Lypsiam , vbi Cocles
um iam agere nunciatum est , proficiscar , eis
dem & consilij mei expositurus rationem ,
adeoq; auxiliū illius ad eam rem quam pa
ro , imploraturus , vale . Vxor . O me omni
nium infelicissimam , O me omni destitutam
nunc præsidio , vnde mihi , hoc tam insperatū
tam subitum , tam repentinum malum ? Vbi
nunc sunt magnifica illa promissa , quibus
olim nuptias illius non nihil recusantem , deli
butam reddidit ? Quotiens iureiurando fi
dem mihi adstrinxit suam ? Sed iam nulla vi
ro iuranti femina credat .

Tibullus

Nulla uiri speret sermones esse fideles ,
Qui dum aliquid cupiens animus prægestit apisci .
Nil metuunt iurare , nihil promittere parcunt ,
Sed simul ac cupida mentis satiata libido est ,
Dicta nihil metuere , nihil periuria curant .

Quod si hunc animi mei mœroren Domi
nus non discussit , ilicet perij , perij inquam ,
Quin & de liberis nostris actum est , Quos
tamen , vt tu Christe serues . obsecro . VV I .
Fortiter quidem ego istas vici lachrimas , Ne
q; vel tantillum liberi aut mater hoc tantum
animi mei robur percelluerunt , Quod si eam
rem probe quis expendat , duplici hic nomi
ne laudandus sum , Principio , quod bonorū
operum , ita vti decreui , defensor futurus , bo
ni cus

ni cuiusdam operis specimen edidi, Neq̃ ^{Vuicellius}
enim non potest non bonum opus esse, Si ^{sui tybim}
quis ad hunc modū & vxorem verſet & libe ^{cen.}
ros, quom Christus dicat in Euangelio, Qui
reliquerit domum, fratres, vxorem, liberos,
centuplum recipiet, in ſæculo hoc, & vitam
æternam poſſidebit, Et ille Orthodoxus pa
ter Hieronymus. Solum, inquit, pietatis ge
nus eſt, in hac re eſſe crudelem, perq̃ calcatū ^{Ad Helio}
pergere patrem &c. Deinde & a prudentia ^{dorum.}
laudandus ſum, quod a compositis iſtis ad
fraudē lachrimis tam pulchre mihi cauerim,
Vere enim Pythagoras duo lachrimarum,
genera in mulierum finxit oculis, Veri dolo
ris vnum, Inſidiarum alterum, Vel illa mea
virago, quam inſidioſe ruruſ in Lutherano
rum dogmatum naſſam pellicere me conaba
tur? Sed vicit omnia pertinax virtus. Proin
de nunc ad iter accingar, meq̃ ocieus moue
am oportet, quod via mihi nō omnino bre
uis conficienda ſit, Quanq̃ quid viæ incuſo
longitudinem? Reſpexit nos Deus aliquis,
Aut enim me fallunt oculi, aut Lypſiam vi
deo, Quid? Nihil falſus ſum, Certe enim
Lypſiam video, elegans me hercle oppidum,
quodq̃ iſtis Athenis, ſi tam haberet doctos
viros, quam ego ſum, comparari mereretur,
C iij Habui

Doctrinae
persuasio
in Vuiceli-
lio.

Habui multos quondam hic amicos, ad quos si superstites adhuc essent, diuertere possem, At cum metus sit, ne & illis ego, & illi mihi in obliuionem venerint, libet ad Nicolaum Fabrum Typographum diuertere, uirum vel hoc nomine commendabilem, quod Lutheranam doctrinā cane peius & angue odit, quodq; in excudendis libris, qui passim contra Lutherum scribuntur, non mediocriter utitur diligentia, Atq; eccam ipsius domum, FABER, Videon huc aduentantem Vuicelium? Certe is est, Adibo ac colloquar, Vnde nobis Vuicelius? VVICELIVS. Oh tu hic mi Faber aderas? E Nymeco. FABER, Nondum te erroris poenitet? Equidem pro vetere nostra amicicia saepe tibi meliorem mentem imprecatus sum. VVICELIVS. Exaudita est precatio tua o bone, Breui me resipuisse intelliges. FABE. Quid? Resipuisti Vuiceli omnium qui viuunt doctissime? VVI. O me foelicem, Vocor nunc doctissimus, cui antea nihil praeter Hareses os crimē impingebatur, Quos isti titulos addent in Lutherū aliquando scribenti? O me foelicem, Bene habent principia, Sic plebem primulum facio meam, Sed dictum est, mi Faber, agere hic Codeum, id ne yerum est? FABER,

Vuicelij
uanitas.

BER, Agit, Quin & Crotus Rubeanus,
 paulo ante huc ex negotio fortassis Episco-
 pi, aduenit. VVICELIVS. Crotus? FA-
 BER. Sic est. VVICELI. Duc me ob-
 secro ad eum, Cocleum post conueniam.
 FABER. Istam vides in foro ad leuam
 tam belle pictam domum? VVICELI.
 Quid ni? FABE. In ea diuersatur. VVIC.
 Eo igitur propero, Heus, heus, Nemo pro-
 dit? Est ne hic Doctor Crotus? CROTUS:
 Quis me vocat? Adsum si quid voles, VVI
 O Crote salue, Adsum tibi inopinatus hos-
 pes. CROT. *ἔνθ' ἔλθοι ὅσις ὀνίσει* Sed & tu
 Vuiceli salue, Quæ te huc iam adigit necessi-
 tas? Nihil minus hoc tempore, ac te expecta-
 bamus. VVICELI. Quod scilicet ac faustum
 & mihi & vobis & Papalis sit Ecclesiæ,
 Reuersus sum agnito errore in viam, atq; *Iniciū res-*
 hac de caussa huc veni, vt nimirum Cocleo *sipiscētia*
 hanc meam resipiscentiam indicarem, omnia *Vuicelia-*
 post hac ad illius consilium & præscriptum *ne.*
 facturus, Et tamen quom te adesse intelli-
 gerem, veterem amicum, volebam tecum
 quoque hac de re colloqui. CROTUS.
 Quem mihi errorem, quam viam
 narras? Quid tibi velis plane nescio.
 VVICELIVS, Ergo aperte vis me
 remip=

rem ipsam proloqui, neq; vti circuitione?
CROTus, Breuiloquentiam non aliter atq;
Lacon quispiam amo. VVICE. Vixi hacten-
us inter Lutheranos Lutheranus, docui
Lutherano more Euangelium, Sacramentis
Lutherano more & ipse sum vsus & vti con-
creditam mihi Ecclesiã sum passus, Et quod
me ijs omnibus peius habet, ducta mihi est
vxor, Quæ omnia quom aduersus Romanæ
Ecclesiæ morem designarim, hocq; pacto
maximo crimini factus sim obnoxius, Libuit
tandem redire in viam, Adq; illos olim mihi
contemptos Romanæ Ecclesiæ proceres rur-
sus deficere, Eccum tibi resipiscentẽ, Eccum
errorem agnoscentem, Eccum admissorum
omnium veniam petentem. CROT: Papæ,
Mira hæc est Methamorphosis, dicas hunc
ad Pauli exemplũ coelo tactum, Quod si ad
eum modum insanire perrexerit, Hui quos
ille Lutheranis ludos præbebit. VVICE.
Quid dicis? CROTus, Dixi timere me, ne
minis hoc consilium tuum sit callidum, Et
quidem pro iure amicitia, quæ mihi tecum
annis aliquot intercessit, moneo, vt quod fa-
cturus es, honestum ne sit an secus, probe pri-
us consideres. VVICE. Si quis a secta qua-
piam quæ cum infinitis erroribus, coniuncta
sit, ad

*Amici cõ
siliũ nõ
malum.*

fit, ad aliam quæ nō erret, quæ verum amet,
transferat animum, Eum tu honeste facere
iudicabis? CROTUS, Per me vnicuique
semper liberum fuit, eritque semper, vel hoc
vel illud doctrinæ genus amplecti, Neque
enim meum est, quom non Theologiam sed
iuris prudentiam profitear, de controuersijs
Ecclesiasticis ferre sententiam, Solum hoc
moneo, Vt in tam ardua caussa Salustianū
illud recte consideres, prius quæ incipias consul
to, & vbi consulueris, mature facto opus est,
VVICE. Atqui ego de Lutherana factio
ne deserenda cum multis iam pridem inij con
siliū, Neque enim VVicelium temere quic
quam aut inconsulto facere decet. Vel tu dic,
quando in rebus agendis vnquam in me deside
raris prudentiam. CRO. Ne hic quidem, de
tanto viro, eoque amico, pronunciare ausim,
Et tamē iterum atque iterum moneo, Temere
ne quid inceptes, Principio non te clam est,
Transfugæ nomen apud omnes nationes in
uisum esse, Romani, quod nosti, nullum olim
habuere tam nocentem hostem, cui victo, si
pænam deprecaretur, non indulerint, At in
perfugas seuerissime ab iisdem animaduers
um esse semper, vel hinc liquet, quod non
ad palum deligatos, virgisque cæsos necarint

Crotus
nunc iuri
sta est.

Vvicelium
na prudē
tia.

Transfu
ga misse

D sed bea

sed beluis deuorandos obiecerint, Deinde
& illud non ignoras. Esse inter Lutheranos
qui e leuiusculo etiam delicto turbas excita-
re, e& musca plane Elephantum facere no-
runt. Quibus si tanta fuerit scribendi in te ob-
lata occasio, quot puras sannis, quot in te lu-
dent l&dorij? Et tamen in vniuersum non
damno hoc tuum consilium, quod Lutherana-
nismo non maximopere addictum me esse
oportet, vtpote aulicum, solum hoc caue,
ne ad Papalem Ecclesiam rediturus, illos
irrites Vittenberg& ac alibi crabrones, qui
quiduis citius, quam doctrin& su& contemp-
tum ferunt. VVICELI. Illos igitur vt ti-
meam Vittebergenses, tu mihi autor eris?
pr&sertim quom in vno digitulo plus erudi-
tionis habeam, ac Lutherani omnes in toto
corpore? Illos, inquam, egon timeam, tant&
mihi eruditionis c&scijs? Imo vt ne ignores,
vno atq; item altero libello, totum Luthera-
nismum prosternam, Neq; enim me terret,

Non fe-
runt doc-
trin& c&-
temptum
Luthera-
ni.

Vel fulminantis magni manus Iouis,

Si fractus illabatur orbis,

Ferient ruin& impavidum.

CROTUS. Vt c&elum hic territat armis?
VVIC. Quid tacitus tecum loqueris? CRO
Illos incuso Lutheranos, quod te tantum via-
rum semel in suas partes abductum, non om-

ni apud se beneficiorum genere retinere stude-
uerint, Poteras inter illos non minimus esse
VVIC. Meriti certe de me nunq̄ sunt ma-
le, Quid ergo? Quicquid huius factum est,
eruditioni ac virtutibus meis datum est. Qua-
re quod ad beneficia adinet, nullo illis ius-
re ad strictus sum. Et volo ab illis diuelli,
imo iamdudum diuulsus sum, posteaq̄ mihi
diuersum ab illorum doctrina docere, adeoq̄
q̄ calamum in illos stringere, decretum est.
CROT. Si sic stat sententia, quas ergo defes-
ctiōnis causas pretendes? VVICE. Quas
causas? Id tibi vel vno Syllogismo (ut pos-
te Dialectices optime gnarus) ostendero,

Ingratio
Vucclius

Ab errore resilere honestum est,

Lutherani errant,

Ergo a Lutheranis desciscere honestū est.

CRO. Agnosco acumē, Quid vero si Luthe-
rani minorē hic negent? tibiq̄ confirmandi
syllogismi istius imponatur necessitas? VVIC:
Nihil istac p̄batione facilius. Quotusquisq̄
enim est in sancta ac catholica, hoc est, Papali
Ecclesia, Lutherū errare qui ignoret? percō-
tare Papam, percōtare Episcopos, percontar-
re sacros ac omnes omniū ordinū Monas-
chos, qui si omnes ex æquo Lutherū erroris
reū p̄nūciarint, quorsum p̄batione in re ma-

Bella cō-
firmatio.

D ij nifesta

nifesta tum opus erit, CRO. At non sunt
tam hardi Lutherani, vt caussam suam ad-
uersariorū præ iuditijs opprimi passuri sint,
Qui si recte etiam iudicent, id quod Luthe-
rani tamen negant, confirmationem contro-
uersiarum omnium in Ecclesia ab autoritate
scripturæ totam pendere dictitantes, tamen
addictior ad huc est orbis illorū dogmatis,
quam vt apud omnes hac ratione excusari
possis. VVICE. Quasi vero hoc agam, vt
ijs qui Luthero addicti sunt, placeam, Volo
ego istis solum probari, qui cum Luthero ex-
ercent inimicicias. CRO. Id facile impetra-
bis, Apud illos enim ita quisq; in præcio est,
vt Lutheri vel amicus vel hostis est, Ca-
lumniare Lutherum, & mox totam hanc con-
ciliabis tibi colluuiem. VVICE. Monito-
re hic opus non habeo, Breui enim scenciet
pessima factio, Sit ne edentulus Vuicelius an-
secus, Sed ita ne Crote ais, facilem mihi fore
ad Papalem Ecclesiam aditum? Neq; frau-
di futurum, quod cum Lutheranis Lutherana
dogmata annis amplius octo amplexus
sim? modo fortiter linguam in illos exacu-
am? CROT. Aio, Quanq; si Camilli sumis
les essent, vix tam essent futuri faciles. VVI.
Quid igitur Camillus, quod quidem mihi ob
esse pos

Ne scui
tūtopere
Vuiceli.

esse posset, designauit? CROT, Quomodo
Faliscos obsideret, ac quidam Iudi literarij
magister Principum eiusdem ciuitatis libe-
ros per prodicionem ad ipsum adduxisset,
non solum non recepit proditorem, verū eti-
am ipsdem pueris vinctū in urbem redigen-
dum ac verberandum tradidit. VVICEL:
Quod pace tua dictum sit, inepta hæc est cō-
paratio, Ego enim nec patriam nec alienos
liberos nec Ecclesiam meam prodo, sed ab
Hæreticis ad Christianos transeo. CRO. At
quod antea quoq; dixi, nō agnoscunt Hære-
seos crimen Lutherani peruicacissimi, Quot
enim libris hanc ab se depellere culpā conati
sunt? Aut magnū illum Roterodamū vt tra-
ctarint huius rei gratia, num tibi in mentē ve-
nit? Qui ergo tanti viri calamum nihil veriti
sunt, te scilicet verebuntur? Tibi ego para-
suros credam? Et tamen vt ad hærescere illis
pergas, non tibi sum futurus autor, modo vt
ne iuxta prouerbium, Equum voces in plani-
ciem. VVICE. Vt tu es intempestiue meti-
culosus, Quid si olim effecero, vt frustra vi-
ribus te meis diffusum esse, adpareat? Eras-
mū vt maxime non destituat eruditio, tamen
vires destituunt, qui etiam hac de caussa in
ocium reiici merebatur, At ego vt Erasmi
D ij eruditi

*Compara-
rat se cū
Erasmo
Vvicelius*

eruditionem facile æquaro, Ita alia vi, alio im-
petu, alio animo Cacangelicos istos adori-
ar. CROT. Ha, ha, he. VVIC: Quid rides?
CROT. Cui risum non excutiat id cognomi-
nis Cacangelicus? Neq; enim non potest
non bella comparatio esse Oleti & Euange-
lij. VVIC. Huiusmodi nominum ingentem
siluam meditatam habeo. CRO. Quem in-
usum? VVICE. Vt maledicendo quoq;
Lutheranis par sim, Quid si Mysergos vo-
cem? CROT. Recte, sic adolescentes isti
Rhodij tangendi sunt, Sed heus Vviceli,
Quod nam Lutheri dogma potissimum in-
pugnabis? de Sacerdotum coniugio? VVI
Minime. CROT. Hem, scio, indulgentiæ
primum impugnari ceptæ sunt, harum igitur
defensionem primum oportet suscipias:
VVICEL. O consiliarium, Sic soles respon-
dere ab Episcopo tuo interrogatus senten-
ciam? Indulgentiæ in vniuerso orbe male
audiunt, ab earum igitur defensione si bel-
lum hoc ordiret, omnibus in posterum libris
meis fidem abrogarem, Proinde argumen-
tum plausibilius quærendum est, nimirum
de bonis operibus. Hac enim de re dicendi
est latissimus vbiq; campus. CROTVS.
Huiusmodi ergo Argumentum, quo artifi-
cio tra

*Vvicelius
defensor
bonorum
operum.*

cio tractabis. **VVICE**. Plane Rhetorico,
 Principio fidei iustificationem oportet detra
 ham, hac enim arte euersa, facile totus Luthe
 ranismus corruet. **CROT**. Quid si Luthe
 rani eos locos qui diuersum adierunt, oppo
 fuerint? qua ratione his occurreris? **VVIC**
CELIVS. Rhetores docent, vt in caussa
 non vsque adeo bona, quicquid obfuturum
 sit, callide dissimulemus, Contra, Quæ vel
 in speciem profutura sint, & excerpamus &
 oratione exaggeremus, Hæc mihi præcepti
 uncula mordicus retinenda erit. Neq;
 enim fidei, sed operum iusticiam defenden
 dam suscipiemus. **CROTVS**. Belle
 hoc. **VVICBLIVS**, Deinde quic
 quid vsquam est macarismorum. **CRO**
TVS, Per placet Græcismus. **VVICE**
LIVS, Quicquid præterea vsquam loco
 rum est, vel in Veteri, vel in Nouo instru
 mento, de faciendo, de agendo, de operan
 do, id in vnum aceruum congeram, singu
 lis locis, singulas interpolationes additurus.
CRO. Quæ scilicet opera iustificare con
 uincant? **VVIC**. Rem acu tetigisti. **CRO**.
 Atq; sic te existimabis egregie functum
 officio? **VVI**. Quid nisi? Tanta enim locorū
 farragi

Ratio de
 fendendi
 bona ope
 ra.

farragine obruti Lutherani, ne hiscere quidē
aduersus me audebunt, Ego quid hic possim
scio, Ac rursus, Quam sit illis curta domi sua
pellex scio, Si vociferabuntur isti fidei debe-
ri iusticiam, Vociferabor ego vicissim, Ope-
bus deberi iusticiam, Si pro confirmatione
sui dogmatis locos isti citarint, Adducam
ego & meos locos. CROT. Pulchre, Si illi
nominarint Phædriam, Tu Pamphilam con-
tinuo, Si quando illi dixerint, Phædriam in-
tromittamus comessatum, Tu Pamphilam
cantatum prouocemus, Si laudabunt hi illi-
us formam, Tu huius contra, deniq; par pa-
ri referto, quod illos mordeat. VVICE. Et
habebunt illi quidem sententiæ suæ approba-
tores aliquot, Fateor, At mihi totus mundus
adstipulabitur, vt pote ad Ethica propensi-
or. CROT. At ego timeo, ne Lutheranus
quispiam nasutior exoriatur, qui te ad exacti-
orem huius Thematis explicationem adigat,
Quiq; vt de iusticia Christiana ac bonis ope-
ribus dialectico ordine differas, exigat, Ne-
q; enim ita confundi opera patientur, vt nō
præcepta Dei sint humanis traditiunculis
potiora habituri, Imo audio & ipsos opera
docere, præsertim charitatis, adeoq; nulla
pietatis exercitia reijcere, modo vt ne ijs vel
peccato

*Ridetur
Vvicelius*

*Ethicus
doctor
Vvicelius*

peccatorum remissio, vel iustificatio, vel vita
æterna referantur accepta, Breuiter, Nihil
reijcere illos, præter quæ quod manifeste con-
tra scripturam pugnet, audio. VVICELI.
Istas Syrenes Vlyssis exemplo obturatis au-
ribus prætergrediari oportet, Quis porro
ad omnia omnium stultorum interrogata re-
spondeat? Aut in Euāgelio, quando vnquæ his
verborū portētis, An sit, Quid sit, Quæ par-
tes &c. Christus vsus est? Ego de operibus
bonis sic docebo, Quod facienda sint, quod
iustificent, quodque ea de caussa a Deo exi-
gantur, Qui aliter hisce de rebus differere
volet, differat, Qui finire volet, finiat, Qui
distinguere inter hominum ac diuina præ-
cepta volet, distinguat, Mea mihi adlubescit
methodus. CROT. Forfan iuxta vulga-
tum illud, Quod homines tot sententiæ.
VVICE. Imo vt scias transitionem meam
hoc quoque nomine cohonestabo, quod nihil
vsquam in toto Lutheranismō bonorum fi-
at operum, Quod licenter viuant, quod nul-
la apud eos habeatur, vel æqui vel iniqui ra-
tio. CROT. Et de futurum hic illis putas
quod respondeant. VVICE. Puto. CRO.
falleris, Constituent duas hic tibi classes, Al-
teram multitudini, Alteram pijs deputabunt

*Methodus
Vulgaris
Cæliana.*

E Piorum

Multitu-
do nunq̄
non male
dixit.

Piorum classem nunquam non, iuxta bonæ
arboris naturam, bonis operibus fecundant
esse contendent, Contra multitudinem, vt
semper, ita nunc quoq̄ suo viuere modo, re-
spondebunt, Neq̄ se, vt aliter viuat, præsta-
re posse, quod sacrarum contionum ferme
contemnens sit, Stare autem, quo minus di-
cto audiens sit, per Magistratum, a quo ad
præstandam ciuilem iusticiam non adigatur,
Ad hæc. Tuo te ipsius gladio iugulabunt,
obitantes, multo maiora scelera, intolerabi-
liora flagitia designari in Papismo, vt ita di-
cam, ac in Lutheranism, Et si a fructibus ar-
borem cognosci oporteat, puriorem esse Lu-
theranorum ac Papistarum vitam, Atq̄ hic
a genere ad species vitiorum enarrandas in-
dubie digredientur, nō solum aleam, luxum,
scortationes, adulteria, sed occulta quoq̄
illa vitia, contra quæ Scantiniaolim lex lata
est, opprobroturi. Huc addent, Ecclesiasti-
cam doctrinam, non e moribus corruptissi-
mis eorum qui Christianum nomen nō me-
reantur, sed e verbo Dei æstimari oportere,
Quod abusus quidem malus sit, sed tamen
nullius rei officiat substantiæ. **VVICELI.**
Et tu quenquam ex Lutheranis contra me
putas progressurum in aciem? **A**iqui vt
olim

olim Romani nominis maiestas in officio
 multos populos, ne per se arma inferrent, ne
 ue inferentibus coniungerent sese, continuit,
 Ita omnes Lutherani, vel ad famam nominis
 mei obmutescunt, Quod si etiã in aciem proz
 dierint, tamen ad primum exercitus mei cons
 pectum terga vertent, diripiendaq; castra
 militi meo relinquent, Quid: si aliquando ad
 Crotum meum illud Cæsaris, scribam, veni,
 vidi, vici: CROT. Utinam in hoc negotio
 semper sis albæ Gallinæ filius, Id quod ami
 cus amico imprecor, Præsagit enim, quid nef
 cio mali animus, adeo, vt verear, ne dicturus
 aliquando sis, Non putaram. VVICELI:
 Ego vero animum despondere non possum,
 etiam si Deus aliquis prædicat, certã mihi ex
 hoc consilio imminere perniciem, Odi istos
 Lutheranos, Et potis es tacere Crote: CRO.
 possum, nõ aliter atq; ille cuius Cicero memi
 nit Zenon, qui omnia ppetri, q; delendæ ty
 ranuidis cõscios indicare maluit. VVic. Scias
 igitur potissimũ hanc esse huius consilij mei
 causam, Quod omnem mihi famæ materiam
 Vuittenbergenses hæctenus præripuerunt,
 Quicqd vsq; recte geritur, Quicqd vsq; re
 cte vel dicitur vel scribitur, id totũ ad istos re
 dundat vuittenbergenses, Adeoq; vel Luthe
 E ij rum vel Philip

*Imagina
 ria uictoria
 Vvico
 li.*

*In Tusca.
 questionibus.*

*Causa de
 sectionis
 Vviceliana.*

*Causa de
fectionis
Vuiclij.*

pum, vel Pomeranum, vel Ionam, vel alium
quempiam autorem habet, me interim infe-
licissime delitescente in angulo quopiam, Ea
me res iam pridem pessime vrere coepit, &
non iniuria. Quis enim non ægre ferat indo-
ctiorē sibi præferri? Linguas & ego calleo,
Quando quidē igitur tam diu spretus ac con-
temptus sum, efficiam, vt quemadmodum ad
istos profligatæ Romanæ Tyrannidis decus
redit, Ita ad me prostrati Lutheranismi glo-
ria redeat, Breuiter, Experiri libet, Num ego
quoq; notior fieri possim. CRO. Id tibi quis-
dem cū dñs immortalibus cōmune est, vt qui
teste Euripide & ipsi gaudeant ab hominibus
honore adfici, Et quis ignorat illud Oui-
dianum?

Donec eram sospes, tituli tangebar amore,
Quærendiq; mihi nominis ardor erat.

Eam tamen causam caue quisquam ex te au-
diat, Solet enim ferme suspectū esse, quicquid
ob gloriam captandam suscipitur, præsertim
si id fiat a Theologis. VVICE. Si quidem
tacere potero, Sed num tu Crote valde me
felicem futurum iudicas, si ista Romanæ
Ecclesiæ capita me amplecti, meq; munificen-
tiæ suæ imbre ceperint perfundere? Tum
mihi & res & fama parabitur, Tum inter om-
nium

*Imagina-
ria Vui-
celi felici-
tas.*

nium doctissimos reputabor, Tum Lutherani magno rerum suarū incōmodo, quem neglexerint, quem contampserint, experientur, Et cur non credam inter istos Orthodoxos patres futurum me ter maximum? quom ob impugnatam Lutheri doctrinam ibi indoctissimus etiam quisq; in precio sit? Emserum nemo nosset, nisi maledixisset Luthero, Quid Ioanne Fabro contemptius? Quid Eicio obscurius? Quid Cocleo vilis esset, nisi tot conuitorum plaustra congesissent in Lutherum? O me felicem, O me inquam felicem, Adeoq; tanto felicior futurum, quanto doctior sum omnibus, qui Romanā sedem hactenus tutati sunt. Sed quid restat Crote, quo minus solidum hoc nobis fiat ac perpetuum gaudium? CROT. Tace paulisper, Aut enim fallor, aut cōcrepuere fores, Quin? propemodum id exciderat, Erat hac hora venturus ad me Cocleus. VVICEL. Totus tremo, postquam Cocleum nominauit. CROT. Mane tu, Ego an is veniat, video, O festus dies hominis, Adest nobis Vuicele Cocleus, Vtriq; nostrum expectatus. VVICE: Conuenio ne statim ipsum ansecus? Certe conueniam, vnde autem summam orationis exordium? Sed procumbam

Imaginaria Vuiceli felicitas

*Humi
Vucelius
prosterni
tur.*

prius ad illius pedes, non quod tanta me modestia deceat, sed vt hoc veluti certo resipiscentiæ meæ inditio, tanto mihi addictorem reddam, Homini gloriã quærenti nemo non oportunus est. COC. Salue Crote. CRO. Sit & tuus aduentus saluus. COCL. Sed qd hic hominis humi procumbit? CRO. Num tu illum obsecro nosti? Vucelius est. COC. Ille e Nymeco Lutheranus? CRO. Ille ipse COC. Quid tibi cum tali Hæretico est negocij? Aut in terram cur se prosternit? CRO. Caue Hæreticum voces, hominem ad cor reuersum, Quod enim humi prostratus iacet eo fit, vt pænitere ipsum erroris, ac in gratiã redire tecum cupere intelligas. COCLEus. Surgat igitur. CRO. Videm istum lachrimã tem? ihsq; lachrimis veram penitentiam significantem? COCLE. Egon quenquam ex Lutheranis vel ad cor rediturum vel ad nos transiturum credam? Peruersus, Crote difficile corrigitur. Et peccator cum venerit in profundum, contemnit. CRO. Quid cæteri huius facturi sint, nescio, Certe hunc ego ex animo resipiscere scio. COCLE. Pænitentia ductus est & Iudas, & Esau fleuit, sed vterq; falso, id timeo, vt ne huic quoq; vsu veniat. CROT. Ego me pro illo vadem constituis
am, ac

*Lachri-
me Vui-
selij.*

am, ac ita fideiubebo, vt ni ille vere Lutherana
nos omnes posthac detestabitur, tu me capti-
uis reum agas. COCLE. Tibi ego Crote fi-
dem habeo, Proinde Vuiceli accede & dex-
tram porrige, Quid fles? CRO. Vsq; adeo
illum, tam diu Lutheranus adhesisse penitet.
COCLEus.

Talia celestes fieri præconia gaudent:

Vt sua quid valeât numina teste probent. Ouidius
de poenit
tētia Vuic
celij.

Sæpe leuant poenas ereptaq; lūina reddūt

Quum bene peccati pœnituisse vident.

Sed nunc bono fac sis animo, Primus ad sani-
tatem gradus est, morbum agnouisse, Alter,
vt cognitum morbum per confessionem,
quæ Sacerdoti fit, cures & depellas, Ea
enim est teste Augustino, salus animarum,
dissipatrix vitiorum, restauratrix virtutum,
expugnatrix dæmonum. Quid plura? Ob-
struit os Inferni & Paradasi portas aperit,
Lutherani vbiq; fidem iactant, Sed ea vbi
habet apud Patres tam egregium Encomi-
on? Quod igitur isti Hæretici tribuūt fidei,
id audis Vuiceli Augustinum tribuere Con-
fessionis. VVICELIVS. Detur mihi
protia

*Autori-
tas Apo-
stolica.*

protinus ergo sacerdos cui confiteri liceat,
Ut enim culpam sentio, ita per confessionem
sanari & iustificari cupio. COCLEUS, Hære-
ticos in viam redeuntes, idque post diutinum
errorem, non est cuiusuis & recipere & absol-
uere, Id rite facit nemo, nisi autoritate munis-
tus Apostolica: VVICE. Quin tu igitur
non nihil te humilias, meque audis peccata om-
nia enarraturum ordine? Cupio quam pri-
mum mundari a pristinae vitæ sordibus, præ-
sertim ab impuritate doctrinae Lutheranae.
COCLEUS, Fiet, Tu autem Crote tantis-
per dum hic confiteatur, alio te confer. CRO-
abeo. VVICE. Egregie domine doctor, &
spiritualis pater, Rogo dignitatem vestram,
quatenus velitis mihi audire confessionem
caussa Dei. COCLE. Libenter. VVICE.
Confiteor Deo omnipotenti, & beatæ Ma-
riæ virgini, & omnibus sanctis, & vobis
egregie domine doctor, quod ego miser pec-
cator peccavi nimis in vita mea. contra legem
Dei mei Sanctissimi domini nostri Papæ, co-
gitatione, locutione, opere &c. præsertim cõ-
fiteor, quod fui Lutheranus, quod fui cū ru-
sticis qui volebant omnes Sacerdotes & Mo-
nachos mortuos percutere, quod prædicaui
contra sanctissimum, quod non inuocaui
sanctos

*Confessio
Vuicelij.*

sanctos, quod non seruauit Missam & Cano-
nem, quod non legi horas Canonicas, quod
non habuit concubinam sed uxorem, quod
non benedixit cineres, palmas, sal, aquam, ignem,
fladenses & schinckenses, sicut solitum
est fieri in vigilia Paschæ, Quod etiam sæpe
dixi, quod vellem (cum supportatione) in
ista omnia merdare, Ideo precor uos, quatenus
velitis me absolueret, & orare pro me mi-
sero peccatore. COCLEVS. Domine
Baccalaurie, vos peccastis valde enormiter,
& si mansissetis apud Lutheranos finaliter
tunc esset peccatum in spiritum sanctum *irremissibile*
Quia humanum est errare, sed diabolicum
perseuerare, Propterea si non vultis plus fa-
cere, tunc volo vos absolueret, & vobis mo-
re solito penitentiam iniungere. VVICE.
Nunquam in æternum volo plus facere. CO-
CLEVS. Apostolica igitur potestate, quam
mihi Sanctissimus in hac parte concessit, Ab-
soluo vos in nomine Patris & Filij & Spiritus
sancti. VVICELIVS. Amen. COCLE
Tamen in recompensationem peccatorum
vestrorum & pro debita satisfactione, debe-
tis per integrum annum sextis ferijs induere
cilicium & ieiunare in pane & aqua, Et quia
F vos

*Absoluitur
Vui-
celius.*

*Satisfac-
tio Vvice-
lij.*

missa

vos mei ad huc non potestis celebrare, debetis omnibus septimanis mittere vobis legere vnam Missam in honorem S. Bennonis, quod velit vos preconseruare in posterum ab omnibus erroribus, Etiam debetis singulis diebus per vnum annum orare tria Rosaria, & Orationes Sanctæ Brigittæ, Nunc surgatis & oretis etiam pro me: **VVICELIUS**. Heus redi Crote, qualis tibi nunc videor? **CROT**. Purus putus, Et videris aliquando acrior ac antea. **VVICELIUS**. Tam est efficax, illa a patribus olim ceu permauus nobis tradita con, fessio, Serenat non solum conscientiam, verum addit etiam corpori velut alacritatem quandam, Ego bone Deus quam nunc sum ad omne opus bonum paratior ac antea? **COCLEVS**. Atque hoc est quod per Prophetam Dominus est pollicitus, Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra, sicut vermiculus, velut lana alba erunt, Loquens nimirum de confessione illa auriculari, in qua exactam oportet esse omnium peccatorum enumerationem, iuxta illud, Ite & ostendite vos Sacerdotibus. **VVICELIUS**. Tantas confessionis commoditates si pro-

*Errant
Auerant
no.*

si probe Lutherani perspectas haberent, nō
 tam inepte hisce de rebus garrirēt, Sed sic
 natura comparatum est, Vt errorem error
 ferme comitetur, Quem enim fidei Articulus
 isti habent integrum? Id quod nos bre-
 uiter eruditissimis libris toti mundo ob oculos
 ponemus, Prædixi. CROTVS. Mittes ne
 prius Fetiales cum patre patrato ad aduers-
 sarios, qui & de iniuria religioni illata con-
 querantur, & res repetant? Neq̄ enim vl-
 lum bellum iustum esse potest, ni clarigatio
 iusta prius fiat: VVICELIVS. Alia ratio-
 ne de Christianæ religionis dogmatis discep-
 tatur, ac bella olim ab Ethnicis gesta sunt,
 Mihi posthac, nō qua ratione clarigatio fiat,
 sed quo pacto chartæ vacuæ impleantur,
 considerandum erit. COCLE. Tu qui-
 dem fili gladiatorio animo ad bellum hoc ac-
 cingeris, Quod si erga nos hunc animum re-
 tinueris, adeoq̄ erga Romanam Ecclesiam,
 efficiam, vt omnium Antilutheranorum
 dux breui designeris, Proinde caue, vlla res
 istos spiritus tuos imminuat, de sumptibus in
 hoc bellum necessarijs ego videro. VVICE,
 Accipio omen, Hostium quidē infinita multi-
 tudo est, Scio, sed si me, me inq̄, cōtra ipsorū
 F ij furo=

Clarigatio
 ne Vui
 celijs on
 pus nō ha
 bet.

Vulcelius
 dux de
 signatus
 aduersus
 Lutheras
 nos.

furorem designatum ducem audierint, animus illis mox in nates decidet: CROTUS.
Quid si in tanto rerum discrimine dictatorem dixerint? VVICELIVS. Quem vero dicent? Lutherum? Atqui is mihi colatus, vel puer rideri potest. CROTUS: Melanchtonem fortassis dicent vel Pomeranum, vel Ionam. VVICELIVS. Homines mihi narras triuales & quorum famam brevi obscuram victorijs meis redditurus sum. CROTUS: Ve igitur Lutheranismus, Attamen æquum ego cenfeo, vt per preconem edici iubeas, Quicumq; ante Idus Martias exire e medio eorum velit, Eum veniæ locum, modo ex animo respiscat, apud te habiturum, Qui vero exire contemnat, in eum te perinde atq; in hostem animaduersurum. VVICELIVS. Eam clementiam tamen si Hæreticus homo non mereatur, tamen vt æquitatis opinionem apud vulgum nobis conciliemus, fiet. COCLEVS. Perge vt cepisti, & brevi Lutheranis suspendio arbores deligendæ erunt: VVICELIVS. Laudabis studium, Sed heus, Est quod vos mea caussa vicissim facere oporteat, Tu me Crote Moguntino Episcopo insinuabis.
CRO

Vvicelius
amicitijs
se ambit.

CROTUS. Fiet, Quasi vero is in sua di-
cione huiusmodi morionum non plus satis
habeat. VVICELIVS. Quid mussas?
CROTUS: Dicebam, tanti Principis ami-
cicia plane te dignum esse: VVICELI.
Sapis, Et tu me Coclee Romano Pontifici
conciliabis, Cardinalibus & Episcopis. CO-
CLEVS. Id facturus eram, etiam si nullus
monuisses. VVICELIVS. De Monachis
ac alijs Sacrificulis ipse videro. COCLEUS
Ecquid vis amplius? VVICELIVS. Vt in
tuto sim. CROTUS. O egregium ducem,
Paulo ante nulli non formidabilis vide-
ri voluit, nunc tutelares deos querit: CO-
CLEUS. Omnia mihi ista curæ erunt, modo
tu strenue adoriaris aduersarios. VVICE-
LIVS. Iamdudum mihi animus est in acie,
vos de belli sumptibus suppeditandis adfa-
tim, cogitate. CROTUS. quibus rebus
putas Coclee huic opus erit? COCLEUS.
Opimis aliquot præbendis, Sed dabuntur,
modo in hostes vehemens & intentus sit.
Qua de re cras colloquemur copiosius, Iam
cænandi tempus est, ad quam properandum
mihi est, Valete. CROTUS: valeho,
sed a Papismo perinde atque a Lutheranis-

*In tuto
esse vult
Vvicelius*

mo, id quod Iuris peritum decet, alienus.

VVICELIVS. Et ego **Va**

lebo, sed perpetuus Luth
ranorum hostis,

Prædixi,

Auerte iram tuam a nobis.

**Christophore Sancte, sta pro miseris Lu
theranis,**

**Es quoniam Magne, longus plus Vuce
lianis.**

**EXCVSVM VITEBER
GAE PER NICOLA
VM SCHIRLENTZ.**